

ſta ſenſiliora ad concipiendum, quod tractamus, malum val-  
dopere eſſe prona; remedia, quae neruina ſunt, vt cortex, opium,  
caſcarilla, amara, ſimilia, conducere, nocere contra ea, quae  
grauius genus neruoſum afficiunt; nil denique magis paroxy-  
ſmos huius mali rouocare, quam ſi cauſſa, quae commouere po-  
teſt neruos et fibras muſculares, admittatur. E quibus con-  
ſtatur, morbum, quem malum aut hystericum, aut hypochon-  
driacum nominamus, in aucta et deprauata totius quidem gene-  
ris neruoſi et muſcularis, maxime tamen primarum viarum,  
ſenſilitate et irritabilitate conſiſtere. Dicimus vero, *auctam*  
eſſe ſenſilitatem et irritabilitatem, quando ſtimuli, qui in ſa-  
nitatis ſtatu parum aut nil efficiunt, validos producunt motus;  
*deprauatam* autem nuncupamus, ſi partes ſenſiles et irritabiles  
a ſtimulo quodam non ea, ac fieri debet, ratione afficiuntur,  
v. g. quando fauces, ob internam neruorum conſtitutionem,  
aquoſa non ferunt, dura contra ea corpora facile, vt in hydro-  
phobia, aut ventriculus, vt in hypochondriacis et hystericis,  
mollia non ſine graui incommodo concoquit, dum a duris nihilo-  
minus bene ſe habet.

SCHOL. I. Non mirabuntur Lectores, me malum hypochondriacum et  
hystericum in praefenti Tractatione coniungere. Exploſa enim ſententia,  
quae ſtatuit, hystericum malum vteri tantum eſſe affectionem: cum aliis cen-  
ſeo, vtrumque malum eiusdem farinae eſſe. Differentia ſexus gradualem  
quidem et a diuerſitate partium pendentem, minime vero eſſentialem di-  
uerſitatem inducit.

SCHOL. II. Cum, quae malo hypochondriaco et hystericum accedunt,  
ſymptomata non auctam et tantum deprauatam, ſed etiam imminutam ſen-  
ſili-